



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Pvdens. Cum liberis suis Novato, Timotheo, Pvdentiana & Praxede. 20.
Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. P V D E N S.

Cum liberis suis

NOVATO, TIMOTHEO,
PVDENTIANA &
PRAXEDE.

20. Junii.

*Si quis autem suorum, & maxi-
mè domesticorum curam non ha-
bet, fidem negavit, & est infideli
deterior. 1. Tim. 5. cap. 8. v.*

Non jam Priamum aut Nioben Græ-
cus Parnassus cantet in funera sua fa-
cundos. At nos PUDENTI Senatorii ordi-
nis Romæ viro, NOVATUM & TIMOTHEUM
filios geminos, totidemque filias, Pudenc-
tiam & Praxedem gratulamur, omnes
cum ipso patre cœlo inferros. Et felicita-
tem hanc tam sancta familia Ducibus Apo-
stolorum DD. Petro & Paulo debet, qui
post hospitii tesseram Pudentem sacris un-
dis admoverunt, & uti animum, ita animi
socium corpus candida veste induerunt. Et

Ec 3

servavit

Et servavit ille utramque ab omni labe exi-
miã, ædesq; suas commune miseris hospitium
fecit. Demortui virtutes hæreditario jure sibi
debitas liberi certatim involarunt, quamvis
vivente & arridente patre idem jam fecerant.
Ædes in templum versæ; patrimonium in
pauperes dilapidatum; tota familia (capita
numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lu-
strata; latebræ afflictis Christianis datæ:
firmati nutantes, roborati morientes; mor-
tui terrâ tumulati: sacra à Novato & Timo-
theo fratre omnibus ministrata. Deniq; non
jam in templū tantum, sed cœlū migrasse
domum tam sanctam dixisses. Certè cœlo
digna judicata est nobilissima hæc familia;
in quam utinam more veteri transire igno-
biles nos terræ filii aliquando possimus.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De Sanctitate boni Patris familias & domesticorum ejus.

I. **S** PUDENTE vix alius sanctius testamentum
constituit. Pauperes suarum divitiarum;
Liberos virtutum, & Christum domus suæ hære-
dem reliquit: quæ mox non tantum in templum,
sed in cœlum etiam conversa videbatur, tam san-
ctæ

Etē nobilissima hæc familia in illa vivebat. Ut tu quoque inter domesticos Dei nummereris, præ omnibus Deum Patrem tuum crede, & fiducialiter panem quotidianum ab eo pete, quærens ante omnia regnum Dei, & cætera adjiciet, ipse enim, *scuturatur unumquemque nostrum. velut solum curat, & sic omnes, tanquam singulos.* S. Aug. lib. 2. *conf.* cap. 11. *voca igitur Deum Patrem, & da operam quatenus tibi sit cælestis vita, divini mores, & forma Dei quia cælestis Pater respondentes generi suo filios muneribus dicitur divinis, degenerantes ad pœnalem revocat servitutem* S. Chrysol. Serm. 71.

2. Quam ampla illa familia S. PUDENTIS (capita numerabat 96) & omnis sacro fonte abluta est. *Credidit ipse & domus ejus tota, tanti interest ad Sanctitatem familiæ rectorem domus sanctum esse, Si Rector non fueris in domo constitutus, imitare Filiorum S. Pudentis virtutes, fac ut quantum in te est vigeat in domo misericordia S. Novati cultus divinus S. Timothei! Obedientia reverentialis erga præpositos S. Pudentianæ. Industria S. Praxedis in omnibus fraterna charitas.*

3. Perpende in quibus domibus, Christus in terris versatus, libentius diverterit, nimirum in stabulo Bethlemítico, ubi opum & voluptatum luxus abest; in domo Nazarethâ, ubi JESUS MARIA JOSEPH. Virginum flores habitant.

Ec 4.

B. ALOY.